

■ Examen VWO

Latijn

Voorbereidend
Wetenschappelijk
Onderwijs

20 | 06

Tijdvak 2
Woensdag 21 juni
9.00 – 12.00 uur

Tekstboekje

Tekst 1 Rede van Scipio

Scipio spreekt tot zijn soldaten voor de slag bij de Ticinus.

Ne genus belli neve hostem ignoretis, cum iis est vobis, milites, pugnandum, quos terra
marique priore bello vici, a quibus stipendum per viginti annos exegisti, a quibus capta
belli praemia Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque
animus, qui victoribus et victis esse solet. Nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est,
5 pugnaturi sunt, qui plures paene perierint quam supersint; nisi creditis, qui exercitu
incolumi pugnam detractavere, eos duabus partibus peditum equitumque in transitu Alpium
amissis plus spei nactos esse. At enim pauci quidem sunt, sed vigentes animis
corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis ulla possit. Effigies immo, umbrae
hominum, fame, frigore, inluvie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque;
10 ad hoc preuesti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quassata fractaque arma,
claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi estis; reliquias extremas
hostis, non hostem habetis, ac nihil magis vereor quam ne cui, vos cum pugnaveritis, Alpes
viciesse Hannibalem videantur. Sed ita forsitan decuit, cum foederum ruptore duce ac populo
deos ipsos sine ulla humana ope committere ac profligare bellum, nos, qui secundum deos
15 violati sumus, commissum ac profligatum conficere.

Livius, AUC XXI, 40.5-11

Tekst 2 Rede van Hannibal

Hannibal spreekt tot zijn soldaten voor de slag bij de Ticinus.

Hic vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis. Et eadem
fortuna, quae necessitatem pugnandi imposuit, praemia vobis ea victoribus proponit, quibus
ampliora homines ne ab dis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantum ac
Sardiniam parentibus nostris ereptas nostra virtute reciperauti essemus, satis tamen ampla
5 pretia essent: quidquid Romani tot triumphis partum congestumque possident, id omne
vestrum cum ipsis dominis futurum est; in hanc tam opimam mercedem, agite dum, dis bene
iuvantibus arma capite. Satis adhuc in vastis Lusitaniae Celtiberiaeque montibus pecora
consectando nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestrorum vidistis; tempus
est iam opulenta vos ac ditia stipendia facere et magna operae pretia mereri, tantum itineris
10 per tot montes fluminaque et tot armatas gentes emensos. Hic vobis terminum laborum
fortuna dedit; hic dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. Nec, quam magni nominis
bellum est, tam difficilem existimaritis victoram fore; saepe et contemptus hostis cruentum
certamen edidit et incliti populi regesque perlevi momento victi sunt. Nam dempto hoc uno
fulgore nominis Romani, quid est cur illi vobis comparandi sint? Ut viginti annorum
15 militiam vestrarum cum illa virtute, cum illa fortuna taceam, ab Herculis columnis, ab Oceano
terminisque ultimis terrarum per tot ferocissimos Hispaniae et Galliae populos vincentes
huc pervenistis; pugnabis cum exercitu tirone, hac ipsa aestate caeso, victo, circumsesso a
Gallis, ignoto adhuc duci suo ignorantique ducem. An me in praetorio patris, clarissimi
imperatoris, prope natum, certe eductum, domitorem Hispaniae Galliaeque, victorem
20 eundem non Alpinarum modo gentium sed ipsarum, quod multo maius est, Alpium, cum
semenstri hoc conferam duce, desertore exercitus sui? Cui si quis demptis signis Poenos
Romanosque hodie ostendat, ignoraturum certum habeo, utrius exercitus sit consul. Non ego
illud parvi aestimo, milites, quod nemo est vestrum, cuius non ante oculos ipse saepe
militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego virtutis spectator ac testis notata
25 temporibus locisque referre sua possim decora. Cum laudatis a me miliens donatisque,
alumnus prius omnium vestrum quam imperator, procedam in aciem adversus ignotos inter
se ignorantesque.
Quocumque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris, veteranum peditem,
generosissimarum gentium equites frenatos infrenatosque, vos socios fidelissimos
30 fortissimosque, vos, Carthaginienses, cum ob patriam, tum ob iram iustissimam pugnaturos.

Inferimus bellum infestisque signis descendimus in Italiam, tanto audacius fortiusque pugnaturi quam hostis, quanto maior spes, maior est animus inferentis vim quam arcentis. Accedit praeterea et stimulat animos dolor, iniuria, indignitas. Ad supplicium depoposcerunt me ducem primum, deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnassetis; deditos 35 ultimis cruciatibus affecturi fuerunt. Crudelissima ac superbissima gens sua omnia suique arbitrii facit; cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, se modum imponere aequum censem. Circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos non excedamus, neque eos, quos statuit, terminos observat: "Ne transieris Hiberum; ne quid rei tibi sit cum Saguntinis." Ad Hiberum est Saguntum? "Nusquam te vestigio moveris." Parum 40 est quod veterinas provincias meas, Siciliam ac Sardiniam, ademisti? Adimis etiam Hispanias et, si inde cessero, in Africam transcendes. Transcendes autem? Transcendisse dico. Duos consules huius anni, unum in Africam, alterum in Hispaniam miserunt. Nihil usquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicarimus.

Livius, AUC XXI, 43.5-44.7

Tekst 3 Vorstelijk gedrag van Scipio

Captiva deinde a militibus adducitur ad eum adulta virgo, adeo eximia forma ut, quacumque incedebat, converteret omnium oculos. Scipio percontatus patriam parentesque, inter cetera accepit desponsam eam principi Celtiberorum; adulescenti Allucio nomen erat. Extemplo igitur parentibus sponsoque ab domo accitis cum interim audiret deperire eum 5 sponsae amore, ubi primum venit, accuratiore eum sermone quam parentes adloquitur. "Iuvenis", inquit, "iuvenem appello, quo minor sit inter nos huius sermonis verecundia. Ego, cum sponsa tua capta a militibus nostris ad me ducta esset audiremque tibi eam cordi esse, et forma faceret fidem, quia ipse, si frui liceret ludo aetatis, praesertim in recto et legitimo amore, et non res publica animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam 10 impensis amanti vellem, tuo, cuius possum, amori faveo. Fuit sponsa tua apud me eadem qua apud soceros tuos parentesque suos verecundia; servata tibi est, ut inviolatum et dignum me teque dari tibi donum posset. Hanc mercedem unam pro eo munere paciscor: amicus populo Romano sis et, si me virum bonum credis esse, quales patrem patruumque meum iam ante hae gentes norant, scias multos nostri similes in civitate Romana esse, nec 15 ullum in terris hodie populum dici posse, quem minus tibi hostem tuisque esse velis aut amicum malis." Cum adulescens, simul pudore et gaudio perfusus, dextram Scipionis tenens deos omnes invocaret ad gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi nequaquam satis facultatis pro suo animo atque illius erga se merito esset, parentes inde cognatique virginis appellati; qui, quoniam gratis sibi redderetur virgo, ad quam redimendam satis magnum 20 attulissent auri pondus, orare Scipionem, ut id ab se donum acciperet, cooperunt, haud minorem eius rei apud se gratiam futuram esse adfirmantes quam redditiae inviolatae foret virginis. Scipio, quando tanto opere peterent, accepturum se pollicitus poni ante pedes iussit vocatoque ad se Allucio. "Super dotem" inquit "quam accepturus a socero es, haec tibi a me dotalia dona accendent"; aurumque tollere ac sibi habere iussit. His laetus donis 25 honoribusque dimissus domum, implevit populares laudibus meritis Scipionis: venisse dis simillimum iuvenem, vincentem omnia cum armis, tum benignitate ac beneficiis. Itaque dilectu clientium habitu cum delectis mille et quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem revertit.

Livius, AUC XXVI, 50

Tekst 4

In de onderstaande passage beschrijft Livius militaire operaties rond de stad Nola, niet ver van Napels. In het direct voorafgaande is een Romeinse overwinning op een Carthaags leger bij de stad Beneventum beschreven.

1 Dum haec ad Beneventum geruntur, Hannibal depopulatus agrum Neapolitanum ad
2 Nolam castra movet. Quem ubi adventare consul sensit, Pomponio propraetore cum
3 eo exercitu, qui super Suessulam in castris erat, accito ire obviam hosti parat nec
4 moram dimicandi facere. C. Claudium Neronem cum robore equitum silentio noctis
5 per aversam maxime ab hoste portam emittit circumvectumque occulite subsequi
6 sensim agmen hostium iubet et, cum coortum proelium videret, ab tergo se obicere.
7 Id errore viarum an exiguitate temporis Nero exsequi non potuerit incertum est.
8 Absente eo cum proelium commissum esset, superior quidem haud dubie Romanus
9 erat; sed quia equites non adfuerunt in tempore, ratio compositae rei turbata est.
10 Non ausus insequi cedentes Marcellus vincentibus suis signum receptui dedit. Plus
11 tamen duo milia hostium eo die caesa traduntur, Romanorum minus quadrungenti.

Livius, AUC XXIV, 17

Aantekeningen

regel 1	dum terwijl depopulor plunderen Neapolitanus Napolitaans
regel 2	consul bedoeld wordt <i>M. Marcellus, de consul die zich in Nola bevond</i> Pomponio propraetore verbinden met accito in regel 3
regel 3	Suessula stad in de buurt van Nola accio ontbieden
regel 4	robur, roboris het sterkste deel
regel 5	aversus maxime ab + abl. het verst verwijderd van circumvehor een omtrekende beweging maken circumvectum vul aan eum (verwijst naar <i>C. Claudius Nero</i>)
regel 6	sensim voorzichtig (<i>bijwoord</i>) cum op het moment dat ab tergo in de rug se obicio opduiken
regel 7	error viarum het kwijtraken van de weg exsequor ten uitvoer brengen incertum est het is onzeker of
regel 8	superior superieur
regel 9	ratio compositae rei de afgesproken tactiek
regel 10	cedentes vul aan hostes
regel 11	plus meer dan minus minder dan

Einde